

De Platonis Cratylo dialogo.

§ 1. De vocum φύσει et θέσει vi et ratione.

Mirum fortasse videtur, quod Graeci eo ipso tempore, quo artes literaeque maxime florebant, rebus grammaticis fere nullam dederunt operam raroque in exploranda lingua ita versati sunt, ut ejus ipsius leges ac rationes in disceptationem vocarent. Cujus rei has maxime esse existimo causas, quod neque Graeci aliarum linguarum scientia erant imbuti, quas quum compararent cum ipsorum lingua accuratius hanc perspicere poterant, et elementorum vis et origo ita erat obscurata atque oblitterata, ut summa demum diligentia ac studio a multis deinceps viris in grammatica collocato quae ratio et analogia in vocabulis eorumque flexu et compositione valeret plane cognosceretur. Graecorum autem indolem ab exploranda linguae ratione non omnino abhorruisse cum ex eo intellegatur, quod et inter Graecos ab antiquissimis temporibus ea erat popularis opinio pervulgata, ut inter vocabulum et rem significatam existimarent naturalem quandam et fatalem intercedere necessitudinem¹⁾, et Plato ad dialecticas res explicandas et definiendas saepe rationibus utitur e lingua petitis²⁾: tum insigni est documento controversia illa multorum celebrata disputationibus, utrum lingua φύσει an θέσει esset. Ut igitur Alexandrini primi via ac ratione in res grammaticas inquirebant, ita jam prioribus temporibus philosophi de lingua saepe multumque cogitabant et disputabant, non ita tamen, ut grammaticas rationes spectarent, sed ut linguae vim ac naturam respecta philosophia aut rhetorica definirent et quae ratio intercederet inter eam et cogitationem exquirerent. Quid autem lingua valeret ad philosophiam non poterant perspicere nisi hac controversia disceptata, vocabula utrum naturali quadam necessitate orta cum rebus natura congruerent ac cohaerere an e pactione quadam et consuetudine profecta ab hominum arbitrio et voluntate penderent. Philosophi igitur qui Platonis tempore florebant utrum vocabula naturalia i. e. vera et recta essent dubitabant, an arbitraria i. e. falsa et perversa. Et graecis terminis q. v. adhibitis controversia hanc habet formam: suntne rebus *ὀνόματα φύσει*, i. e. *ὀρθῶς, τῆ ἀληθείᾳ* an *θέσει* i. e. *ὄνκ ὀρθῶς, ἔθει καὶ ξυνθήκῃ*.

In his enim terminis φύσει et θέσει quaestionis cardinem versari mihi quidem persuasum est, quamquam nuper Steinthalus, vir doctissimus, has voces Alexandrinorum demum tempore ortas et

1) cf. Schwalbe: Jahrb. des Pädagog. in Magdeburg 1838. p. 46.

2) Deuschle: plat. Sprachphilos. Marburg 1852. p. 7.

Platonis aetate sententias inter se contrarias terminis *φύσει* et *νόμῳ* significatas esse statuit¹⁾. Vocabula enim *φύσει* et *νόμῳ* contendit eo quod antiquiores jam philosophi maximeque sophistae vulgares opinionnes impugnabant iisque suas sententias philosophia partas et rerum naturae accommodatas opponebant, certorum terminorum vim accepisse et paulatim adeo esse commutata, ut veram et falsam opinionem significarent; jam has voces etiam in exploranda linguae vi ac natura ita esse usurpatas, ut alii vocabula *φύσει* i. e. naturalia et vera, alii *νόμῳ* i. e. arbitraria et falsa esse dicerent. Ac rationum illarum discrimen concedendum est a Steinthalio l. l. p. 72—76 docte atque eleganter esse expositum; sed vereor ne frustra diligentiam operamque consumerit in demonstrando, jam ante sophistarum aetatem voces *φύσει* et *νόμῳ* ita ut verum et falsum significarent inter se oppositas esse. Neque est cur hoc statuamus, quum vocabulorum ipsa vis satis sit lata, ex qua usus varietas facile possit explicari. Inest enim in utroque vocabulo ut ita dicam et subjectiva et objectiva vis. Atque objectiva sententia sub voce *νόμος* subjecta leges et instituta significantur, quae more tradita sunt et ad res civiles, jus, religionem, vitae cultum pertinent; idem autem vocabulum, eadem subjectiva sententia qua verbum *νομίζειν* usurpatum, vulgares opinionnes significat, ea quae homines de institutis moribusque vulgo iudicabant. Neque minus facile in vocabulo *φύσις* et objectiva et subjectiva vis cernitur. Illa enim respecta rerum ordo et ratio intelligenda est quae sensibus percipitur, hac vero adhibita natura atque indoles significatur cuique rei insita. Itaque quamquam vocabula *φύσις* et *νόμος* magis magisque in subjectivam significationem abeunt et sophistarum tempore proxime accedunt ad notiones veri et falsi, tamen tantum abest, ut apud antiquiores jam philosophos, veluti apud Empedoclem vel Democritum, certorum terminorum locum obtineant, quod Steinthalio p. 43 sqq. contendit, ut subjectiva illa vis ubique retineatur ac facile cognoscatur. Et apud Empedoclem quidem uno illo loco insuper corrupto²⁾ *νόμος* nihil aliud significat quam consuetudinem vel vulgarem locutionem. Homines enim elementorum distractionem *δυσδαίμονα πότιμον* vulgo appellant, quam ad consuetudinem philosophus ipse se accommodat³⁾. Atque eadem est illorum vocabulorum vis apud Democritum, praesertim quum, ut apud Empedoclem, *νόμος* nunquam *φύσει* plane opponatur. Illo enim loco, quem potissimum Steinthalio respicit⁴⁾, vocabulum *νόμῳ* prorsus eandem habet sententiam, quam verbum *νομίζειν*, ut vulgarem opinionem significet; quam perversam esse etsi Democritus persuasum habet, tamen in ipso vocabulo non inest notio falsi, nedum termini loco ad hanc notionem significandam valeat. Nunquam igitur illae voces ita inter se opponuntur, ut *φύσει* idem sit quod *ὀρθῶς* vel *τῆ ἀληθείᾳ*, *νόμῳ* idem quod *οὐκ ὀρθῶς*. — Alia autem vocabulorum ratio est sophistarum temporibus. Jam enim ad contrarias rerum rationes significandas ea adhiberi videmus et in sophistarum maxime ore esse, qui quidem ea, quae *νόμῳ* orta essent, perversa, quae *φύσει*, vera esse contendebant. Attamen ut Empedocles et Democritus his vocabulis propria vi retenta utebantur, ita ne illi quidem philosophi adeo a vulgari usu re-

1) Geschichte der Sprachwissenschaft bei den Griechen und Römern, Berlin 1863, p. 74, cf. p. 313, Stallbaumium praef. ad Cratyl. p. 22 sq. ut videtur secutus, cf. quae Steinthalio in annalibus ab eo editis: Zeitschr. f. Völkerpsychologie und Sprachwissenschaft II. p. 331 sqq. accuratius de hac re disseruit. Quam disputationem inspicere me non potuisse doleo.

2) Karsten v. 345, Stein v. 44; Mullach: fragm. philos. graec. v. 112; cf. Zeller: die philos. d. Griechen I. p. 506.

3) cf. Karsten v. 351, Stein v. 52; Mullach v. 117: *το δὲ βίσιον καλέουσι*.

4) Mullach: fragmenta physica Democ. I.

cesserunt, ut in omnibus disputationibus veras rerum rationes *φύσει*, falsas *νόμῳ* dicerent; sed hae voces ibi modo locum habebant, ubi de institutis et moribus ad vitae cultum, jus, religionem, ethicam pertinentibus sermo erat. A Sophistis enim quaecunque a majoribus tradita erant in dubium vocata esse, jam alii, ut Hermannus¹⁾, Zellerus²⁾, Steinthalius³⁾, docte planeque exposuerunt. Ac maxime quidem discrimen quod inter instituta ex hominum arbitrio ac libidine orta et necessitatem in natura positam intercedebat, totum illud saeculum tenebat, quo sophistae florebant; humana instituta et naturale jus inter se saepissime erant contraria et ubi inter se discrepabant, ibi sophistae rationem in natura positam graviorem verioreque esse judicabant quam morem usumque ab hominibus institutum, et *φύσιν* solam et veram esse vitae normam arbitrabantur, *νόμον* autem saepissime injustum ac perversum⁴⁾. Itaque fieri non potuit, quin vocabula *φύσει* et *νόμῳ* ad notiones veri et falsi proxime accederent, sed multum aberat, ut propria vi oblitterata ad significandam etiam earum rerum rationem adhiberentur, in quibus discrimen illud juris naturalis et humani non valebat. — Quodsi jam non videtur verisimile, quaestionem de linguae vi ac natura institutam in vocibus illis *φύσει* et *νόμῳ* versatam esse, omnem tolli dubitationem existimo, si reputaverimus, quicumque de hac controversia memoriae prodiderunt, de oppositis vocabulis *φύσει* et *θέσει* consentire neque ullius interpretis testimonio Steinthalii sententiam posse fulciri. Accedit quod Plato ipse in Cratylo dialogo, qui ad cognoscendam controversiam de lingua ortam plurimum valet, vocabulum *νόμῳ* nunquam *φύσει* plane opponit, contra semper propriam hujus vocabuli vim retinet, ut idem valeat quod usus vel mos, interdum etiam *ἔθει*, veluti p. 384 D, addito; quin eo ipso loco, quo non solam *φύσιν* sed etiam alteram rationem in nominibus valere dicit p. 435, hanc ad significandam non vocabulo *νόμῳ* utitur, sed *ἔθει καὶ ξυνθήκῃ*. Quodsi Steinthalius ipse p. 176 dicit, Cratylum unicum esse fontem, ex quo vera et accurata earum rationum cognitio haurienda sit, quibus usi philosophi in linguam inquirebant, certe non cum viro doctissimo in vocabulis *φύσει* et *νόμῳ* statuemus controversiae cardinem verti, sed cum Hermanno, Deuschlio, Susemihlio, aliis in terminis traditis *φύσει* et *θέσει* acquiescemus. At ne haec quidem vox in nostro dialogo plane *φύσει* opponitur! Concedo; neque repugno, si quis Procli aliorumque interpretum testimonio neglecto eorum opinionem, qui nomina pactione quadam et consuetudine rebus imposita esse statuebant, Platonis quidem tempore nondum certo quodam vocabulo significatam esse dicat. Plato enim variat locutionem: *νόμῳ καὶ ἔθει* p. 384 D, *ξυνθήκῃ καὶ ὁμολογίᾳ* ibid., *ἔθος καὶ ξυνθήκῃ* p. 435 A. Terminis vero *φύσει* et *νόμῳ* rejectis ne id quidem nobis probabitur, quod Steinthalius p. 90 sq. cf. p. 107 contendit, Platonem in nominum vim inquirentem de *νόμοις* generatim disserere et quae de lingua statuenda sint etiam ad *νόμους* in universum quadrare.

1) Gesch. u. system der plat. philos. Heidelberg 1839. I, lib. 2, p. 197 sqq.

2) l. l. I p. 792 sqq. 3) l. l. p. 53—71.

4) cf. Plat. Gorg. p. 482 E: *ὡς τὰ πολλὰ ταῦτα ἐναντία ἀλλήλοις ἐστὶν ἢ τε φύσις καὶ ὁ νόμος*. Protag. 337 C: *ὁ νόμος, τύραννος ὢν τῶν ἀνθρώπων, πολλὰ παρὰ τὴν φύσιν βιάζεται*. De quo loco Steinthalius p. 75 non recte videtur statuisse. Arist. Sophist. Elench. c. 12: *ἦν δὲ τὸ μὲν κατὰ φύσιν αὐτοῖς τὸ ἀληθές, τὸ δὲ κατὰ νόμον τὸ τοῖς πολλοῖς δοκοῦν*. Ac mentione dignus videtur locus ille apud Hippocr. *περὶ διαίτης* lib. I, vol. I p. 639 ed. Kühn: *νόμος γὰρ καὶ φύσις, οἷσι πάντα διαπερήσσειαι, οὐχ ὁμολογέει τὰ ὁμολογούμενα. Νόμον γὰρ ἔθεσαν ἄνθρωποι αὐτοῖ ἐοντοῖσι, οὐ γνώσκοντες περὶ ὧν ἔθεσαν. Φύσιν δὲ πάντες θεοὶ διεκόσμησαν. Τὰ μὲν οὖν ἄνθρωποι ἔθεσαν, οὐδέποτε κατὰ τούτων ἔχει, οὔτε τὰ ὀρθά, οὔτε τὰ μὴ ὀρθά. Ὅσα δὲ θεοὶ ἔθεσαν, αἰὶ ὀρθῶς ἔχει*.

Sed hac de vocibus illis quaestione omitta jam videamus, quas diversas rationes secuti philosophi in nominum vim inquisiverint. Atque in exploranda linguae natura initio quidem ejus origo videtur in quaestionem vocata esse, utrum vocabula hominum arbitrio rebus imposita an naturae necessitate orta essent; mox autem per ambages philosophi veram linguae rationem cognoscere studebant. Nam hac utebantur ratiocinatione: si vocabula *θέσει* orta sunt, ambigua vel perversa sunt, quippe quae hominum usu et consuetudine valeant; sin *φύσει* rebus nomina sunt, certa et constans quaedam ratio in iis inest, ut etiam docere possint. Vocabulorum igitur origine in medio relicta jam in eorum vim et significationem inquirebant, ut cognoscerent utrum vera et e certa quadam ratione profecta an falsa et ambigua essent, utrum *ὁρθῶς κέινται* an *οὐκ ὁρθῶς*; atque ut quisque aut hoc aut illud reperisse sibi videbatur, ita de vocabulorum origine statuebat eaque aut *φύσει* aut *θέσει* orta esse dicebat. Itaque ut de lingua disputandi ratio inversa est, ita terminorum quoque illorum vis commutata jamque vox *φύσει* eorum sententiae inserviebat, qui *ὀνόματα ὁρθῶς κέινθαι*, vox *θέσει* eorum, qui *οὐκ ὁρθῶς κέινθαι* statuebant. Iis igitur, quae Steinthalus l. l. p. 75 cf. p. 313 de vi terminorum ab eo prolatorum *φύσει* et *νόμῳ* disputavit, nominibus mutatis assentiendum est. Neque minus recte vir doctissimus in Platonis Cratylo contendit non tam quomodo vocabula orta sint quaeri, quam quae sit eorum vis et quid ad philosophiam rerumque cognitionem valeant. Itaque a quo rebus nomina data sint, sive deus sive homo sive poeta sive legislator fuit, prorsus in medio relinquitur¹⁾; vocabula imposita esse, *ὀνόματα κέινθαι*, constat; quaestio autem est *περὶ ὁρθότητος τῶν ὀνομάτων*, utrum inter res et nomina naturalis quaedam intercedat necessitudo (*φύσει*) ut nomina rerum naturae respondeant (*ὁρθῶς κέινται*), an vocabula ut hominum arbitrio et pactione rebus imposita (*θέσει*) nihil habeant veri neque quidquam ad rerum naturam cognoscendam valeant (*οὐκ ὁρθῶς κέινται*). — Qua de controversia sic comparata si homines doctiores maximeque sophistae Platonis tempore multum disputabant²⁾, jam summa hominum studia in eam converti necesse erat, quum ii qui linguam *φύσει* esse dicebant eo progredierentur, ut nomina ipsam rerum vim naturamque patefacere contenderent, ita ut qui illa novisset etiam harum rationem omnem intellexeret, (Stallb. praef. ad Crat. p. 13.); quum enim nomina rerum naturae responderent earumque quasi essent imagines, vocabulorum vi et originatione explorata etiam rerum naturam cognosci, ut philosophia contineretur etymologia. Contra ii qui nomina *θέσει* esse statuebant sententiam adeo exaggerabant, ut quodlibet nomen alieni rei inditum rectum esse et pro arbitrio nostro mutari posse contenderent, ut summa esset in nominibus imponendis licentia ac temeritas.

Jam quis rerum cognitionem nisi e nominibus non posse hauriri contenderit quamquam pro certo non potest statui, tamen mihi quidem cum Steinthalio p. 78 sq. persuasum est, ipsum Cratylum, a quo dialogus noster nomen traxit, hanc sententiam protulisse. Quod autem Semihlius³⁾, qui Hermannum secutus contra Antisthenem Megaricosque dialogum scriptum esse existimat, sen-

1) cf. Deuschle l. l. p. 45; Steinthal p. 75.

2) Quid priores philosophi de lingua statuerint, vix potest erui, quum eorum scripta maxima ex parte temporum iniquitate perdita, et quae scholiastae memoriae prodiderunt parum sint fide digna. cf. Zeller: phil. d. gr. II p. 400 ann. 3. et quae Steinthalus l. l. p. 165 sqq. de Proclo aliisque interpretibus disputavit. Accedit quod ante sophistarum tempora linguae natura vix in disceptationem vocata est, ut non esset, cur in hanc vel illam sententiam abirent. Democritum autem traditum est linguae *θέσει*, Heraclitum *φύσει* addictum fuisse.

3) d. genet. Entwicklung der plat. Philos. Leipz. 1855. I p. 163 sq.

tentiam supra memoratam dicit Cratylo non posse attribui, qui οὐδὲν ᾤετο δεῖν λέγειν, ἀλλὰ τὸν δάκτυλον ἐκίνει μόνον (Arist. Met. IV, 5 p. 1010 a, 10) haec verba ad illustrandam Heracliteorum opinionem pertinent, qui res perpetuo motu ferri atque agitari contendebant et quovis temporis momento adeo mutari, ut nomini quod iis daturi essemus jam non responderent; quae rerum natura quod in nominibus cerneretur et lingua, quamquam res retinere ac stabilire videretur, tamen nominationis ratione confirmaret omnia perpetua agitatione ferri, idcirco nomina φύσει esse dicebant. Deinde persuadere mihi non possum, Platonem ipsi magistro errores illos attributum fuisse, nisi Cratylus ipse sententiam illam de linguae natura protulisset.

§ 2. De universa dialogi compositione.

Sed quisquis fuit qui nomina rerum naturam aperire contenderet, certe fieri non potuit, quin Plato controversia supra exposita impelleretur, ut et ipse quid vocabula ad rerum cognitionem valerent via ac ratione examinaret¹⁾. Nam quum ii qui linguam φύσει esse dicebant in hac formula acquiescerent neque animum inducerent exponere, quoniam naturalis illa ἀρμότης τῶν ὀνομάτων esset et qua ratione nomina rerum naturam exprimerent, — ne Cratylum quidem in ἀρμότης vim accuratius inquisivisse ipse dialogus clarissime testatur — Plato, qua erat iudicii sanitate et philosophandi ratione, id egit ut ea, quae sophistae de nominum natura leviter ac temere garriebant, disserendi ratione persequeretur, vera confirmaret et stabiliret, falsa investigaret ac rejiceret. Quod qua ratione Plato consecutus sit, inquirentes nos in satis lubricum praemonendum est campum descendere, quoniam dialogus tantis est difficultatibus implicatus, ut vix Platonis ipsius sententia possit erui et inter doctissimos viros minime constet, quid tandem philosophus nostro dialogo effecerit. Cujus partes et re et forma tam sunt diversae, tanta in eo inest irrisionis protervitas, tanta joci serique varietas, ut „quid a Platone ludibrii gratia positum sit, quid serio graviterque disputatum“ vix possit definiri²⁾.

Dialogus omnis divisus est in partes tres, quarum prima usque ad p. 390 E, altera usque ad p. 427 D, tertia usque ad finem pertinet. Ac prima quidem parte Plato Cratylī personam induit et quamquam tota argumentatio Platonis ipsius est, tamen ad illius mentem exponit, vocabula φύσει esse, i. e. naturali quadam necessitate ita cum rebus cohaerere ac congruere, ut earum naturam literis et syllabis expriment. Et puncta argumentorum tam serio et tam subtili disserendi ratione explicantur, ut vix suspicemur Platonem extrema parte plurima refutaturum esse. — Altera parte (p. 391 A—427 D) Plato eorum rationem qui linguam φύσει esse contendunt ita persequitur atque absolvit, ut vocabula reapse rebus respondere earumque naturam per literas ac syllabas imitari ostendat. Sed tam ineptas originationes tanta cum irrisione et cavillatione cumulat, ut quae philosophus prima parte περὶ ἀρμότης τῶν ὀνομάτων disseruit maxima ex parte ludibrii gratia dicta esse appareat. Simul Cratylī sententia et eo quod nonnulla afferuntur, quae cum ea non congruant, et eo quod Heraclitei, inter quos etiam Cratylus numerandus est, lepidissima irrisione perstringuntur, aliquantum attenuatur atque infringitur, ut quae extrema parte de controversia proposita via ac ratione disputantur

1) cf. Zeller I. I. II p. 401; Steinthal p. 80 sq. et Platonis ipsius verba p. 396 C.

2) cf. ea quae a Stallb. praef. ad Crat. p. 4 et p. 27, et a Steinth. p. 40 de Cratylī forma exposita sunt.

jam non praeter opinionem nostram eveniant. Postrema enim parte iis quae antea exposita sunt partim refutatis partim confirmatis Cratylī ratio adeo convellitur, ut Hermogenis sententia revocari videatur et quid tandem Plato ipse de vocabulorum ratione statuerit vix possit concludi. Ut enim solet, non diserte dicit quid ex antecedente disputatione consequatur, sed difficultatibus explicatis iisque, quae ab aliis de re in quaestionem vocata prolata sunt, recognitis ac tentatis, dialogi finem facit legentibusque committit, ut ipsi ex iis, quae disputando adumbraverit, vera reperiant atque eliciant. Itaque quoniam et permultae antecedentis argumentationis partes discrepant ab iis quae Plato extrema parte disserit, neque probabile est, philosophum nostrum ea quae ludibrii causa et jocose dicta sunt in exitum dialogi distulisse, hoc pro certo videtur statuendum esse, quaecunque Plato extrema parte exposuerit ex animi sententia et serio prolata esse, quaecunque vero in prioribus partibus exposita ab extrema discrepent non pro ipsius Platonis sententia esse accipienda. Itaque etymologica parte nunc quidem relicta videndum erit, quae argumentationis puncta in prima parte prolata extrema aut refellantur aut comprobentur.

§ 3. De prima dialogi parte.

I. (p. 385 A—D.) Controversia de qua quaestio est exposita Socrates dicit, et veram et falsam esse enunciationem, et veram quidem eam, quae res quales sint dicat, falsam eam, quae res quales non sint. Quae quin serio Plato protulerit non est cur dubitemus, quamquam infra p. 430. 431 qua ratione iudicium aut verum aut falsum existere possit accuratius exponit; nostro enim loco hoc dicere vult, utrum enunciatio falsa an vera sit ex rerum natura ac ratione cognosci¹⁾. Sed quod Socrates pergit: quod ad totum enunciatum idem etiam ad ejus partes quadrare — quam ratiocinationem etiam infra p. 387 C invenimus, — ergo consequens esse ut etiam nomina ipsa aut vera aut falsa sint, hanc sententiam per ridiculum a Platone dictam esse et sponte liquet et ex extrema parte p. 431 intelligitur. Hoc enim loco Plato dilucide exponit, non ad singularia vocabula notiones veri aut falsi esse referendas neque ita verum existere iudicium, ut recta vocabula qualibet ratione inter se jungantur; sed ut enunciatio quaedam vera sit, vocabula recta ratione esse componenda et ad res referenda, falsumque existere iudicium, si quis vocabula, quae ipsa neque vera neque falsa sint, inter se permulet et ad res perverse referat²⁾. Et ne objurgemus Platonem, quod in originationibus veri et falsi notiones ad ipsa vocabula retulisse videtur, jure Deuschlius l. l. p. 61 monuit, philosophum nominibus aliquid de hominum vel rerum natura praedicari statuisse, ut illae notiones ad praedicationem vel ἐπιφορὰν in nominibus latentem pertineant, cf. p. 396 A: ἀτεχνῶς γὰρ ἔστιν οἶον λόγος τὸ τοῦ Ἀνδρὸς ὄνομα; p. 399 B.

II. (p. 385 E—p. 386 D.) Hermogenis sententia, qui unumquodque nomen, quod quisque rebus imposuerit, rectum esse contendit, penitus cum sophistarum dicto cohaeret, res tales esse quales cuique appareant, atque eodem spectat, quo ratio a Cratylō infra p. 429 C sq. prolata, ut omnis error tollatur. Socrates igitur examinandum ratus, num recte sophistae de ratione statuerint, quae inter res et homines intercedat, primum quidem Protagorae sententiam hac ratione impugnat, ut hujus philo-

1) cf. Deuschle l. l. p. 24 sq.

2) Susemihl l. l. p. 147, 153 sq.

sophi dicto probato, qui πάντων χρημάτων μέτρον εἶναι ἀνθρώπων statuebat, omne sapientiae insipientiaeque et bonorum malorumque hominum discrimen tolli demonstraret, quoniam quod cuique videretur pro vero et bono habendum esset. Deinde Socrates eandem ob causam rejiciendam esse dicit etiam Euthydemī sententiā, qui „omnia omnibus simul atque similiter convenire“ contendebat, πᾶσι πάντα ὁμοίως εἶναι ἅμα καὶ ἀεὶ¹⁾. Itaque quum neque Protagorae neque Euthydemo assentiendum sit, reliquum esse, ut in rebus inesse statuamus fixam vim et naturam, quae per se consistat neque ex sensuum nostrorum perceptione sit suspensa. Quae omnia serio a Platone exposita esse et ex aliis dialogis et ex nostri extrema parte p. 439 B intelligendum est, ubi Plato rerum cognitionem dicit, quoniam nomina ad eam nihil valeant, e propria ipsarum natura esse hauriendam.

III. (p. 386 E—p. 387 D.) Jam Socrates de instituta quaestione disserere pergit: Si quidem rebus insita est certa quaedam indoles ac natura, etiam actiones quae ad res pertinent suam sibi habere vim ac rationem necesse est neque ex mero hominum arbitrio pendere. Inter actiones autem etiam τὸ λέγειν et τὸ ὀνομάζειν, quippe quod pars sit dicendi (v. s. p. 6.) referendum est. Ut igitur actiones non recte fiunt, nisi rerum naturae ad quas pertinent accommodatae sunt et ea instrumenta adhibentur, quorum usum cuiusque rei natura postulat, ita hoc uno modo recte nominabimus, si nominandi vim ac naturam spectamus et ea adhibemus instrumenta quibus usi recte loquimur. Itaque nominatio longe abest ut in hominum arbitrio vel temeritate posita sit. Ne in hac quidem explicatione video quod ludibrii causa dictum sit aut in sequente disputatione refellatur. Nam quamquam Plato, quae vis et ratio sit et nominationis et nominum ipsorum, iis quae p. 432 sqq. disserit accuratius definit, tamen hoc constat, et nominationem et nomina oportere nominandi naturae respondere. Neque quod ad nominandum idem quod ad loquendum quadrare Plato contendit, hoc quidem loco ullam praebet offensionem, quoniam re vera si τὸ λέγειν etiam τὸ ὀνομάζειν actio est, neque est cur Platonem non serio orationem inter actiones retulisse arbitremur²⁾, praesertim quum nullus sit in sequentibus locus, qui hunc respiciat vel redarguat.

IV. (p. 387 D—388 C.) Deinde ut in quavis actione instrumento opus est, ita nomen est nominationis ὄργανον, quo hac ratione utimur, ut nos invicem de rebus edoceamus earumque naturam discernamus: ὄνομα ἄρα διδασκαλικὸν τί ἐστὶν ὄργανον καὶ διακριτικὸν τῆς οὐσίας. Platonem igitur ut radium vel terebram ita nomen quoque esse ὄργανον quoddam ex animi sui sententia contendisse, mihi quidem cum Steinthalio³⁾ persuasum est, quamvis vera sint quae Deuschlius⁴⁾ et Susemihlius⁵⁾, qui ejus vestigia persequitur, de vi ac dignitate hujus sententiae exposuerunt a literarum scientia qualis nunc est profecti. Sed cavendum est, ne Platoni eas res attribuamus, quae ut nobis ipsis probatae sunt ita a literarum et philosophiae condicione quae Platonis tempore erat prorsus abhorreant. Quam rem quod neglexerit etsi Deuschlius p. 52 sqq. Steinhartio crimini dat, tamen ne ipse quidem videtur hunc errorem semper evitavisse; et Susemihlium non tam Platonicae philosophiae historiam enarrare, quam de philosophia in universum Platonis scripta secutum disserere, Bonitzius⁶⁾

1) Stallb. praef. ad Crat. p. 6 et ad p. 386 D.

2) Aliter statuere videtur Steinthalus l. l. p. 87, nullo allato argumento.

3) v. l. l. p. 87 sq.

4) v. l. l. p. 59.

5) v. l. l. p. 148.

6) In praefat. ad platonica studia. Wien 1858. Hft. I. p. 5. cf. Susemihl praef. ad l. l. vol. II part. 2 p. 7.

haud immerito monuit. Quod autem Susemihlius l. l. dicit Platonem p. 423 B ipsum dicendi ὄργανον esse vocem statuisse, non recte vir doctissimus mihi videtur animadvertisse, quoniam illo loco non de oratione, sed de imitatione quaestio est, quae ut per corporis motus ita etiam per vocem et linguam et os fieri possit. Itaque nomen Platoni revera quoddam instrumentum visum esse nihil est quod diffidamus. Sed alia est ratio eorum quae philosophus de hujus instrumenti usu disserit. Quod enim nominis usum dicit eo contineri, ut nos de aliqua re edoceat et res pro earum natura discernat, prorsus ab iis discrepat, quae p. 433 B. D. p. 435 D sqq. legimus. His enim locis tantum abesse Plato explicat, ut e nominibus rerum ratio et natura cognoscatur, ut contra haud parvum immineat periculum, ne nomina secuti in graves multosque implicemur errores. Sed nominum vim atque usum eum esse ut non quale quidque sit aperiant, sed per literas et syllabas certam quandam rem significant (*δύλωμα συλλαβαῖς καὶ γράμμασι πράγματος ὄνομα εἶναι* p. 433 B) et oratione nos hoc uti consilio, ut quae cogitantes loquamur patefaciamus (*δύλωσις ὧν διανοούμενοι λέγομεν* p. 435 B). Itaque Plato ea quae *φύσιν* secutus prima parte exposuerat, extrema circumscribit vel refutat.

V. (p. 388 C—p. 389 A.) Ad primam dialogi partem reversi id quod Socrates dicit, quoniam nomen sit *διδασκαλικόν τι ὄργανον*, eum solum nominibus recte usurum esse, qui docendi peritus sit, jam iis quae modo diximus satis refutatum putabimus. Deinde quis nomina fecerit Socrates explicat atque hoc quidem loco de eorum origine quaestio est. Sed quum Plato id agat, ut quid oratio ad cogitationem et rerum cognitionem valeat accuratius exploret, nominum originem obiter leviterque attingit et, quoniam mos et usus, *νόμος*, nomina tradat, auctorem illius moris, *νομοθέτην*, dicit ea finxisse. Quam conclusionem etsi facetissime excogitatam esse concedo, tamen non serio a Platone esse prolata patet. Nam et nominum varietate, quae vocabulorum auctori imponuntur, et faceta cavillatione, qua perstringitur, *νομοθέτων* vis atque auctoritas adeo infringitur, ut Platonem eo ut sequentis disputationis indulgenti ministro usum esse appareat¹⁾.

VI. (p. 389 A—p. 390 A.) Jam igitur Socrates postquam non cujusvis esse dixit nomina effingere, sed nomothetae, qui rarissimus sit inter homines artifex, in nominum vim ac rationem accuratius inquirat. Ut enim omne instrumentum natura cuique rei aptum, *τὸ φύσει ἐκάστον πεφυκὸς ὄργανον*, et ex ea materia, quae ejus naturae conveniat, fingi atque ad certum quoddam opus efficiendum adhiberi oporteat et ipsi speciei vel ideae illius instrumenti respondere, ita nomothetes et nomen cuique rei natura aptum ex accommodatis literis ac syllabis hac ratione componat oportere, ut certa illa res quam accuratissime significetur, et ipsius nominis ideae rationem habeat. Itaque nomen oportere ita esse comparatum, ut et communi nominis ideae respondeat et singularem hanc vel illam rem exprimat. Quae omnia serio a Platone exposita sunt et extrema parte comprobantur. Qua autem ratione nomina res significant, adhuc in medio relinquitur; voces enim rerum ipsarum quasi quasdam esse imagines, quod Stallbaumius l. l. p. 7 ex nostris verbis colligit, Plato hoc quidem loco non contendit, sed altera demum dialogi parte demonstrat. Qua postquam vocabula per literas et syllabas rerum naturam imitari et quasi imagine exprimere *φύσιν* secutus ludibundus et jocosus ostendit, tertia parte veram aperit nominum rationem; quae quamquam imagines quaedam sint, tamen non oportere

1) cf. Deuschle l. l. p. 47 sqq. Quae Steinthalius l. l. p. 89 sqq. de nominum auctore exponit, non omni ex parte mihi probata sunt.

omni ex parte rerum naturae respondeant, sed nomina recta esse, dummodo, quantum usu et consuetudine admissa fieri possit, formam expriment ejus rei de qua sermo sit, p. 432 E. Et vocabulorum *ῥηθόματα* non tam anguste valere, ut nomen cuique rei aptum ab omnibus nomothetis iisdem literis et syllabis effingendum sit, Plato jam nostro loco p. 390 A concedit, quum nihil referre dicat, utrum ex his an ex illis syllabis nomothetes nomen aliquod componat, *ἕως ἂν τὸ τοῦ ὀνόματος εἶδος ἀποδιδῶ τὸ προσῆκον ἐκάστῳ ἐν ὁποιασοῦν συλλαβαῖς* cf. p. 393 D.

VI. (p. 390 B—E.) Jam disputatione de eo qui nomina invenit et de eorum ratione ommissa, quis aptus sit qui de vocabulorum virtute iudicet, quaestio est. Sicut enim de radii virtute is solus recte iudicare potest, qui eo utitur i. e. textor, ita utrum nomina bene an male ficta sint, is diiudicabit, qui iis utitur. Hunc autem esse eum qui docendi peritus esset, *διδασκαλικόν*, Plato p. 388 C dixerat; itaque mirandum est, quod jam *διαλεκτικόν* introducit, et quae ratio inter hunc et illum intercedat, vix est intellegendum. Verisimile autem videtur, Platonem *διδασκαλικόν* eum dicere, qui recte sciteque, *διαλεκτικόν* vero eum, qui sine ratione ac temere in interrogando et respondendo nominibus utatur, ita ut dialecticus propria significatione retenta is sit qui cum aliquo colloquitur, *ὁ ἐρωτῶν καὶ ἀποκρίνεσθαι ἐπιστάμενος*. Quamquam hac interpretatione probata Platonis sententiam, qui nominum auctori dialecticum quasi esse praefectum dicit, etiam majore difficultate et perversitate premi fatendum est. Sed utut res se habet, philosophus noster hoc loco dialectici esse contendit de vocabulorum recta ratione iudicare, et nomotheten ejus praecepta in formandis nominibus sequi. Ac quoniam dialecticum, ut iudicare possit, utrum perverse an recte nomina rebus sint imposita, has necesse est cognitias habere, consequens est, ut rerum cognitio linguae antecedit¹⁾. Qua argumentatione respecta Plato extrema parte p. 438 B. Cratyli sententiam impugnat; qui, quum Plato dialecticum nominum auctori praefecisset, philosophum contendit ab hoc pendere, quoniam res cognoscere non possit nisi per nomina ab hoc rebus imposita. Cratyli autem sententia probata Plato se non intelligere dicit, qua ratione primus nominum fabricator, quem peritum esse ille paullo ante contenderat, ad rerum cognitionem pervenire potuerit, quoniam nondum nomina fuerint, unde eam hauriat. Itaque rerum cognitionem aut linguae antecedere, quod parum probabile sit, aut alia ratione quam Cratylus dixerit esse comparandam. Atque ex rerum ipsarum natura et mutua conjunctione illam esse hauriendam Plato dilucide monet p. 438 E. Itaque quod de ratione disseruit, quae inter dialecticum et nomotheten intercedat, tantum abest ut serio ab eo sit prolatum, ut iis quae modo exposuimus respectis vix dubium videatur, quin illam rationem ab initio hoc tantum consilio statuerit, ut Cratyli sententiam postea redarguat. Et Susemihlio p. 150 assentio, qui id unum Platonem ex animo dixisse existimat, orationem ut ceterorum hominum ita dialectici esse instrumentum atque ut cuivis sermonis generi ita etiam philosophiae et doctrinae inservire.

Primae igitur partis summa haec est: Res ipsae suam sibi habent naturam, quae non ex hominum sensibus vel arbitrio pendet; itaque res non temere, sed secundum earum naturam nominandae sunt nomine, quod hujus actionis est instrumentum. Deinde nominibus hac ratione utimur, ut nos invicem de rebus edoceamus et res pro earum natura discernamus. Denique nomen cum certam quandam rem per literas et syllabas exprimere tum ipsi nominis ideae respondere oportet. Quorum alia in extrema dialogi parte refutata alia confirmata videmus. — Jam qua ratione nomina Cratyli senten-

1) cf. Susemihl I. 1. p. 149.

tia retenta rerum naturam expriment, ἤ τις ποτ' αὐ ἐσιν ἢ (τῶν ὀνομάτων) ὁρθότης p. 391 B. κατὰ πάντα ποτὲ ὁρθόγητα καὶ ὀνόματα κείται p. 400 D, Plato altera parte exponit, deinde quid ad rerum cognitionem valeant, qua in re tertiae partis summa versatur.

§ 4. De altera dialogi parte.

Quid altera pars sibi velit, diu multumque a viris doctis dubitatum est. Ac primum quidem eorum opinio, qui Platonem serio statuebant de vocabulorum origine suam protulisse sententiam, ut obsoleta silentio praetermittenda est. Platonem enim per ludum et jocum pleraque finxisse et τὸν παιδικὸν τρόπον διελθεῖν p. 406 C, inter viros doctos constat¹⁾. Alii autem certos quosdam homines existimaverunt etymologica nostra parte rideri atque exagitari, veluti Schleiermacherus²⁾ Antisthenem statuit, Stallbaumius³⁾, Astium secutus, Heracliteos maxime sophistasque eorum rationis tenaces fuisse, qui perversa illa etymologiae ratione abuterentur. Quos viros et sola conjectura niti neque rectum vidisse jam ab aliis animadversum est⁴⁾. Contra pro certo statuendum videtur, neque Heraclitum, de quo v. quae Steinthalus l. I. p. 169 sqq. exposuit, neque Protagoram, qui quamquam ab eorum partibus stetisse videtur, qui linguam φύσει esse dicebant⁵⁾, tamen neque in libro περὶ ὀνομάτων ὁρθότητος neque in opere ἀληθείας nomine inscripto de naturali vocabulorum origine ita disputavit, ut singularium nominum originationem investigaret, sed hoc egit, ut rectum nominum usum rhetoricae et dialecticae ratione habita exquireret⁶⁾, neque Prodicum, quem de synonymia potissimum disseruisse notum est, neque ullum alium philosophum hac ratione in linguae vim et naturam accuratius inquisivisse, ut etymologiae quaedam fundamenta jaceret et quae de rerum natura docebat semper etiam nominum ratione confirmari demonstraret. Illi enimvero philosophi, ut dixi, qua erant arrogantia et iudicii levitate et inertia, in illo dicto, linguam esse φύσει, acquiescebant neque operae esse pretium existimabant explorare, qua tandem ratione nomina rerum naturam exprimerent et aperirent; v. ea quae Hermogenes de Cratylō p. 384 A et p. 427 D dicit. Quod etiam inde colligi potest, quod neque Hermogenes neque Cratylus aut originationibus a Socrate prolatis alias opponunt aut de earum praestantia dubitant, sed quidquid a Socrate ineptarum etymologiarum in medium affertur summa voluntate accipiunt; cf. p. 428 C, ubi Cratylus quaecunque Socrates exposuit assensu suo comprobatur⁷⁾. Deinde nullo loco studiorum ad etymologiam pertinentium mentio fit; quamquam magnam originationum partem Platonem aliunde sibi assumpsisse constat. Nam, ne repugnare mihi ipse videar, monendum est,

1) cf. Stallb. ad p. 406 B, p. 411 A.

2) praef. ad Crat. p. 14.

3) praef. ad Crat. p. 4; 16; ad p. 396 B. p. 391 D.

4) Veluti a Steinthalio l. I. p. 41 et 75.

5) cf. Stallb. annot. ad p. 391 C.

6) cf. Hermann l. I. l. part. 3. annot. 464, 465 p. 653. Steinthal p. 41 et 129.

7) Cratylus p. 428 B a Socrate irrideri apparet; neque cum Steinthalio consentio, qui quanta insolentia et cavillatione Socrates in nominum originationibus luserit p. 101 dicit Cratylus non fugisse. Is enim ut p. 428 C fortasse se Socratis discipulum futurum esse, modestiam simulans magnificis verbis profitetur — nam multo se esse doctiorem et sapienterem quam Socratem persuasum ei est — ita de iis quae ille exposuit nequaquam dubitat. Quod etiam inde potest intellegi, quod, si argumenta et originationes a Socrate prolatis irrisoria et ludibria causa dictas esse sensisset, certe non omnia illa postea comprobasset et defendisset.

originationum quendam lusum jam antiquissimis temporibus apud Graecos pervulgatum fuisse et multos jam ante Platonem philosophos, velut Orphicos, Pythagoraeos, Heraclitum nominum vim atque originationem, si occasio ferebat, in usum vocasse, ut eorum quae de rerum natura protulerant fidem et auctoritatem amplificarent¹⁾. Nemo autem ad ipsius etymologiae studium se contulerat. — Nuper autem Steinthalius, vir doctissimus, novam quandam de hujus partis ratione sententiam protulit, quam ut fortasse alii ita ego quoque aliquamdiu vehementer amplexus sum, jam autem non esse probandam puto. Is enim l. l. p. 80 sq. et p. 95 sq. exponit, Platonem eorum sermonibus, qui e nominibus rerum cognitionem esse hauriendam dicebant, adductum ut hanc sententiam examinaret atque etymologiae operam daret, nihil antiquius habuisse quam ut etymologiae disciplinam certis quibusdam principiis ac fundamentis constitueret. Sed quum eorum, quae reperisse sibi videbatur, alia probaret alia improbaret neque tamen haec falsa, illa vera esse demonstrare posset, eum propositum etymologiae studium desperasse et quaecunque repererat cavillationi et irrisioni tradidisse. Itaque tota hac etymologica parte Platonem se ipsum irridere atque exagitare, ideoque serio dictis jocosa et inepta mirum in modum esse admixta. Quae Steinthalius magis eleganter et argute quam vere videtur excogitavisse. Nam primum quidem Platonem longam nostram partem non scripsisse mihi persuasum est, quin certam quandam rationem persequeretur. Quod enim irritum suum studium principiorum etymologiae constituentorum ipse irridet, ut Platonis ingenio vix dignum videtur, ita prorsus nihil valet ad componendam illam controversiam, de qua quaestio est; et Platonem studium laboremque in hac re collocatum profudisse et perdidisse, minime videtur probabile. Certe ea, quae pro doctrinae et literarum condicione quae tum erat invenire poterat, non inutili cavillatione perstrinxisset, sed via et ratione confirmasset et ita persecutus esset, ut ad etymologiae studium aliquid conferret. Deinde ne verum quidem videtur, Platonem id egisse, ut etymologiae quasi quaedam fundamenta jaceret. Quod prorsus alienum erat ab ejus consilio; qui hoc unum sibi proposuit, ut quae ratio intercederet inter rem et nomen exquireret. Et si nomina re vera nos edocere de rerum natura cognovisset, sane etymologia in quaestionem vocanda et certis principiis constituenda erat; sed quum nominum vim et significationem intellexisset ad rerum cognitionem prorsus nihil valere, jam non erat, cur in etymologiae rationem accuratius inquireret, quod Steinthalius sibi ipse repugnans concedit p. 105. Postremo nonnulli sunt loci, veluti p. 396 E, qui ad viri doctissimi sententiam non satis quadrent.

Omnis quaestio de etymologia instituta in duas distribuenda est partes, quarum altera (— p. 321 C) in compositis vocabulis, altera (— p. 427 D) in primitivis et literarum vi versatur; de quo discrimine v. infra p. 14. — Ac primum quidem Platonem statuo etymologica nostra parte id agere, ut eos, qui a naturali nominum origine profecti jam hanc rationem persequi et vocabula per literas et syllabas demonstrare conentur rerum naturam exprimere, irritum et ineptum ostendat laborem suscipere. Nam nisi contorta et absurda explicandi ratione adhibita illos homines non posse efficere, vocabula rerum naturae respondere. Atque ut intellegatur, quam perversam illi rationem persequantur, et ut omnes ab ejusmodi incepto deterreantur, ipse ineptiarum originationum exempla cumulat facetissima usus irrisione et cavillatione, veluti p. 399 A, 410 E, 413 A sq; cf. Stallb annot. ad p. 399 A, 402 C, 409 E, 415 A, 415 D; et quod Socrates ab Euthyphrone sacro quodam furore se instinctum esse profitetur

1) cf. eos libros, quos Hermannus l. l. annot. 470 p. 654 laudavit.

p. 396 D (cf. p. 399 A, 399 E, 407 D, 409 D) irrisionis causa dictum esse apparet. — Ac monendum videtur, prima hujus disputationis parte (p. 391—410 E) Platonem in explicandis deorum et elementorum nominibus versantem non a certa quadam philosophorum disciplina proficisci, sed modo hanc modo illam respicere. Quod suo jure fecit. Ut enim nominum *δοθότῃα* exquireret iis rebus impostorum, quarum vis et natura omnibus nota usuque tradita et certis terminis erat circumscripta (*τὰ ἀεὶ ὄντα καὶ πεφροκῶτα* p. 397 B) eum certam philosophiae rationem sequi non oportebat. Itaque nominum originationes passim jam ab aliis prolatas Platonem referre videmus. Velut ad Orphicorum mentem explicata sunt nomina *Ζεὺς* p. 396 A sq.¹⁾, *Θεός* p. 397 D²⁾, *ψυχή* p. 399 E³⁾, *σῶμα* p. 400 C, *Δημήτηρ* p. 404 B⁴⁾, *Ἐρμῆς* p. 407 E⁵⁾. Heracliteae philosophiae ratio habetur in nominibus *Ἑστία* p. 401 D, *Ῥέα*, *Κρόνος*, *Τηθύς* p. 402 A—C, *Φερόεφαττα* p. 404 C. D, Eleaticae in nomine *Ἑστία* p. 401 C, Anaxagoreae in nominibus *ψυχή* p. 400 A, (cf. p. 413 C) *σελήνη* p. 409 B. Quas inter originationes quamquam nonnullae sunt, quae et Platoni probatae et reapse verae sint, tamen philosophus noster ineptas cumulat et ipsis probatis absurdissimas et insolentissimas opponit, ut maxime lubricam atque ambiguam esse ostendat istam nominum explicandorum rationem, per quam Cratylus aliique ad rerum cognitionem pervenire velint, et ad suum quemque arbitrium vocabulorum etymologiam temere posse tractare. — Jam vero ut ii, qui vocabula rerum naturae respondere contendebant, multorum nominum vim et originationem non facile poterant explicare nisi a certa philosophiae ratione profecti, ita Plato ubi (p. 411 A—421 C) ad eas res transit, quae non in natura sed in nostra sitae sunt opinione, ad res subjectivas quae vocantur, de quibus pro sua quisque philosophandi ratione alii aliter statuebant, facere non potuit quin certam quadam philosophiae disciplinam sequeretur in indaganda nominum vi atque etymologia. Et quum timendum esset, ne illi philosophi vocabulorum originationes hac ratione interpretarentur, ut ea, quae ipsi de rebus statuebant, etiam nominum ratione viderentur confirmari et stabiliri, hanc nostri dialogi partem concedendum est contra eos esse scriptam, qui linguam *γύσει* valere statuentes facile poterant adduci, ut vocabulorum vi atque etymologia ad comprobanda sua decreta abuterentur⁶⁾. Itaque quum duae potissimum de rerum natura opiniones illa aetate vigerent, Heracliteorum et Eleaticorum, et Plato illorum disciplinae esset deditus ejusque notitia maxime instructus, ne Heracliteam quidem rationem demonstrat nisi temeraria et contorta explicandi ratione adhibita e nominibus erui posse, et Heracliteos facetissima perstringit irrisione omnia ad eorum rationem deflectens (p. 411—421 C). Cui rei non repugnat, quod Plato p. 439 C dicit: *τῶ ὄντι μὲν οἱ θέμενοι αὐτὰ διανοηθέντες ἔθεντο ὡς ἰόντων ἀπάντων ἀεὶ καὶ θεόντων — φαίνονται γὰρ ἔμοιγε καὶ αὐτοὶ οὕτω διανοηθῆναι* etc. Nam ut Plato ipse revera in nominibus persuasum habet Heracliteorum cerni rationem, qui omnia perpetuo motu ferri atque agitari statuebant, ita eam judicat et via ac ratione esse reperien-

1) cf. Orph. fragm. 39. Mullach: *καὶ Ζῆν' αὐτὸν καλέουσι — καὶ Δία τ' ἡδ', ὅτι δὴ διὰ τοῦτον ἀπαντα τέτυκται.*

2) cf. Steinthal l. l. p. 172.

3) Orph. fragm. 24 Mullach: *ψυχή — θεομῆ ψυχοῦσα τὰ πάντα.*

4) cf. Orph. fr. 34: *Ἰῆ μήτηρ πάντων, Δημήτηρ πλουτοδότειρα;* quamquam etiam alia ratione hoc nomen ibid. explicatur: *Ῥεῖη τὸ πρὶν εὐῶσα γ', ἐπεὶ Διὸς ἐπλετο μήτηρ, γίγνετο Δημήτηρ.*

5) cf. Orph. fr. 28: *Ἐρμῆς δ' ἔρμηνεύς, τῶν πάντων ἄγγελός ἐστιν.*

6) cf. Stallb. praef. ad Crat. p. 3 et 17.

dam, non temere e nominibus extorquendam, neque repertam quidquam valere ad rerum cognitionem. Nomina enim profecta esse ex opinione et perceptione Plato aperte dicit p. 401 A, 411 C, 436 B: *δῆλον ὅτι ὁ θεμενος πρώτος τὰ ὀνόματα, οἷα ἤγείτο εἶναι τὰ πράγματα, τοιαῦτα εἶδ'ετο καὶ τὰ ὀνόματα*, et ludibundus addit, veteres illos nominum auctores in exploranda rerum natura ipsos quasi vertigine quodam correptos jam res perpetua agitatione ferri et circumagi statuisse, et hanc rationem secutos rebus nomina imposuisse p. 411 B, 439 C. Quae animi perceptio quum falsa rerumque natura prorsus alia sit, nomina ad hanc exquirendam nullo modo posse adhiberi¹⁾).

Sed ad intelligendam illam ineptiarum originationum molem et joci serique varietatem etiam alia res magno est momento. Plato enim ab eorum profectus sententia, qui nomina φύσει esse et rerum naturae respondere volebant, quid veri in hac ratione inesset serio ac subtiliter exquirebat. Qua in quaestione philosophum nostrum, quo erat ingenii acumine et subtilitate, nonnulla vera principia, quae ad etymologiam pertinebant, invenisse vix mirum videtur et quamquam nihil impedit, quominus hanc vel illam etymologiae rationem statuamus jam ab alio quodam eorum philosophorum, qui Platonis aetate florebat, occasione data prolata esse, tamen ea, quae in nostra dialogi parte de nominum ratione et origine recte et vere disputata sunt, Platonis ingenio tribuere non dubito. Certe ea, quae p. 393 B sq., 394 A sq., 401 C, 409 E, 410 C, 414 D, 419 A de nominum forma et origine scripta videmus, serio et recte exposita sunt²⁾. Sed Plato veras etymologiae rationes non persequitur, quod hanc disciplinam nihil valere intellexerat ad explorandam rationem inter res et nomina intercedentem; quin etiam ne rectis illis principiis quae posuerat aequales philosophi temere ac perverse utantur, quantopere quamvis rectis praeceptis ii possint abuti, qui hoc vel illud e vocabulis elicere velint, ipse cumulatis exemplis ostendit et eos, qui veram aliquam rationem temere secuti ad omnium vocabulorum vim et originationem explicandam adhibent, acerbissimo sale perfricat. Veluti p. 393 B sq. Plato exponit, nominibus ipsum genus indicari, praeterea vero singulares quoque res vel homines. Itaque quidquid secundum naturam ortum generatumque sit eodem nomine esse significandum, quo illud unde originem ducat, (*τοῖς μὲν δὴ κατὰ φύσιν γιγνομένοις κατὰ ἀποδοτικὸν ὀνόματα* p. 394 D); quae autem contra naturam nata sint, ab eo genere nominanda esse, cui jam attribuenda sint (*τὴν ἐπωνυμίαν ἔχειν τοῦ γένους, οὗ εἶη* p. 394 D); itaque equi aut leonis pullos secundum naturam ortos item equos aut leones esse appellandos, bovis autem foetum ab equo editum e genere ad quod pertineat nominandum esse. Quae quamvis vera sint, tamen non ad nomina propria neque ad singulare quoddam munus neque ad ethicas notiones quadrare apparet et Plato ipse significat verbis quae p. 393 C legimus: *φύλαττε γὰρ με, μὴ πη παρακρούσωμαί σε*³⁾. Itaque si Astyanactem demonstrat jure et recte a patre Hectore esse nominatum, quippe quae nomina eum significant, qui urbem teneat ejusque sit dominus, et procedente disputatione p. 394 A addit: *ἔσται ποτ' ἐκ βασιλέως βασιλεύς, καὶ ἐξ ἀγαθοῦ ἀγαθός, καὶ ἐκ καλοῦ καλός, καὶ ἄλλα πάντα οὕτως, ἐξ ἐκάστου γένους εἰερον τοιοῦτον ἔχγονον*, Plato ipse quam perverse ostendit ratio illa proposita ab hominibus imperitis ad quaevis nomina possit detorqueri. Simili modo id quod p. 393 D, 394 B, 399 A serio Plato exposuit, nihil referre „quibus literis atque syllabis utaris aut utrum literam addas an demas, modo cujusque rei natura per nominis formam rationemque significetur“ (Stallb. praef.

1) cf. Deuschle l. l. p. 62-63; Susemihl p. 151 sq.

2) cf. Steinthal l. l. p. 97 sqq.

3) cf. Deuschle l. l. p. 60.

p. 8) in sequente disputatione perverse et absurde adhibetur ad maxime variorum nominum vim atque significationem enucleandam; cf. etymologiam nominum Ποσειδών p. 402 E, Ἀπόλλων p. 405 D, σελήνη p. 409 B, επιστήμη p. 412 A (cf. p. 437 A), δίκαιος p. 412 E, κέρδος p. 417 B, δέον p. 419 A, ἡδονή p. 419 B, ψεύδος, ὄν p. 421 B, κίνησις p. 426 C. Quae quidem nominum explicandorum ratio quo serpat, Platonem haud ignorare, ex iis intelligitur, quae p. 414 D dicit: εἰ δ' αὖ τις ἐάσει καὶ ἐντιθέσθαι καὶ ἐξαιρεῖν ἀντ' ἂν βοίληται τις εἰς τὰ ὀνόματα, πολλὴ εὐπορία ἔσται καὶ πᾶν ἂν παντὶ τις ὄνομα πράγματι προσαρμόσειεν. Deinde Socrates in explicandis aliquot vocabulis haud dubie graecis hac utitur ratione, ut barbara ea esse dicat, veluti nomina κακός p. 416 A, πῦρ, ὕδωρ, κύνων p. 409 E, ἀλγηδών p. 419 C, κίειν p. 426 C; quae sententia ut haud dubie serio a Platone prolata et certis finibus circumscripta prorsus vera est, ita quam sit ambigua et incerta philosophus et exemplis illustrat et dilucide monet p. 421 C sq. cf. p. 425 E. Denique permulta vocabula vetustate esse detrita vehementerque corrupta Plato contendit p. 404 D, 410 C, 414 D, 418 A, 419 A, 421 D; qua ratione aperte dicit p. 421 D periculum esse ne omnes illi utantur, qui vocabula quaedam explicare aut nolint aut nequeant. Itaque Plato omnibus praecoccupatis erroribus, in quos ii philosophi incidere poterant, qui a certa quadam ratione profecti in vocabulorum originationem inquirebant, ad quam perversum usum ostendit quamvis rectae rationes possint deflecti; qua in re tanta utitur petulantia ac protervitate, ut ipsa illa etymologiae principia, quamvis serio et ex animi sententia sint proposita, tamen ludibrii causa constituta esse videantur. — Paullum autem diversa est ratio alterius etymologicae disputationis partis (p. 421 C — p. 427 D) — ac liceat mihi hanc jam nunc persequi — in qua Plato de primitivis vocabulis et de literis disserit. Quoniam enim usque ad p. 421 C ea nomina in quaestionem vocavit, quae compositione orta esse dicebat, jam in ea inquit, quae non sint composita neque ab aliis ducta, veluti vocabula ἰόν, ῥέον, δοῦν. Plato igitur — nam haec quoque distinctio jure videtur ejus ingenio esse tribuenda — vocabula aut esse primitiva aut composita primus plane atque aperte dixit. Quod discrimen quamquam serio recteque prolatum est¹⁾ et extrema parte (p. 433 D) comprobatur, tamen insigni premitur difficultate, quam ne Plato quidem tollere conatus est. Nam ut verum sit, quod p. 422 B exponit, id vocabulum quod ex aliis non sit compositum pro primitivo habendum esse (εἴαν ποτέ γε λάβωμεν ὃ οὐδέτι ἐκ τινῶν ἐτέρων ξύγκειται ὀνομάτων, δικαίως ἂν φαίμεν ἐπὶ στοιχείῳ ἤδη εἶναι) tamen quibus tandem notis signisque cognoscamus, utrum vocabulum ex aliis compositum an primitivum sit, explicare non potest, praesertim quum etymi et flexus rationem prorsus ignoret²⁾. Sed quae Plato de primitivis vocabulis statuerit, videamus. Ac primum quidem ὁρθότητα παντὸς ὀνόματος καὶ πρότον καὶ ὑστάτον (p. 422 C) contendit unam atque eandem esse, si quidem omnium vocabulorum vis et ratio ea sit, ut quale quidque sit, οἶον ἑκαστὸν ἔστι τῶν ὄντων, significant; deinde vero primitivorum ὁρθότητα exponit alia ratione cognosci quam compositorum. Quae quid sibi velint quum hoc modo perspiciamus, ut primitiva vocabula, ex quibus composita sint, investigemus atque eorum ope rerum compositis significatarum vim et naturam exquiramus, ipsa primitiva alia ratione rerum proprietates exprimere. Ut enim membris et corporis motibus uti possimus, quibus res nobis circumdatas indicemus et declaremus, ita etiam per vocem et linguam nos eam rem imitari, quae significanda sit,

1) cf. Steinthal l. l. p. 98 sq.

2) cf. Deuschle l. l. p. 7.

ut nomen sit *μίμημα φωνῆς ἐκείνου ὃ μιμεῖται* p. 423 B. Sed quum musica vel pictura rerum forma, color, vox, denique ea exprimentur, quae extrinsecus rebus sint adjuncta, imitationem voce effectam ad ipsam rerum vim et naturam pertinere (p. 423 E) ideoque alio modo esse instituendam quam eam quae pingendo fiat. Ac rerum naturae imitationem per vocem hac ratione effici, ut et rerum et vocis elementa investigemus, deinde, quoniam literae sint linguae elementa, literarum genera cum rerum generibus comparemus et haec ad illa referamus, postremo quo modo rerum elementa ad certas quasdam res conglutinentur, eodem literas jungamus, ut syllabae, vocabula, enuntiata existant, e quibus velut e pictura quadam rerum natura cognoscatur¹⁾. Jam qui primitiva vocabula existiment non posse commode explicari, quia vel a deis rebus imposita eamque ob causam recta sint vel a barbaris accepta vel vetustate detrita atque obsoleta sint, eos et callide tergiversari neque reputare, neglecta primitivorum verborum interpretatione ne derivata quidem recte explicari posse (Stallb. praef. p. 11.). Itaque procedente disputatione p. 426 C — p. 427 D Plato ipse aggressus ad singularum literarum rationem enucleandam unamquamque literam demonstrare conatur propriam habere vim ac potestatem et ad certam quandam rerum proprietatem significandam valere; veluti literam ρ motum indicare ideoque in iis vocabulis, quae rerum agitationem expriment, locum habere, etc. Jam si quaerimus, num serio Plato protulerit quae modo exposuimus, monendum est, philosophum et adhuc illorum rationem retinere, qui sola naturae necessitate statuebant nomina rebus esse imposita earumque vim et naturam patefacere, et sententiam nostro loco prolatam tertia parte aliquantum mutare ac circumscribere. Postrema enim parte Plato illa ratione rejecta, ut vocabulorum vis atque usus non is sit, ut rerum naturam aperiant, ita non ex omni parte exponit nomen oportere rei significatae respondeat. Quae autem de ipsarum literarum vi et significatione disseruit, tantam prae se ferunt veritatis speciem, ut, praesertim quum extrema parte non modo non refellantur, sed etiam comprobentur (p. 434) ex Platonis sententia dicta esse pro certo statuendum sit; quod etiam ex cavillatione p. 425 D et p. 426 B intelligitur, qua Plato vix usus esset, nisi verum se reperisse persuasum habuisset.

Haec igitur de veris etymologiae rationibus, quas Plato in disceptanda illa controversia de nominum vi et natura orta reperisse sibi videbatur. His autem, quae adhuc exposuimus, universam alterius dialogi partis rationem nondum plane exsecuti sumus. Accedit enim, quod Plato etymologia utitur, ut ex lingua rerum cognitionem omnino non esse hauriendam demonstrat; quod tertia parte p. 435 D — 439 C accuratius ac planius exponitur. Nam si diversissimae philosophiae rationes, velut Orphica, Eleatica, Heraclitea, levissima sane atque audacissima vocabulorum originationis indagandae ratione admissa e nominibus erui possunt et quaevis disciplina eorum vi et originatione jure videtur niti, in vocabulis colligendum est omnino nihil inesse veri linguamque in exquirenda rerum natura prorsus esse negligendam. — Postremo nostra pars inservit circumscribendae et definiendae illorum rationi, qui naturalem esse linguam volebant. Atque in angustiorem quidem locum illa sententia eo concluditur, quod Plato ipse non usquequaque concedit nominum *ἀφ' ὁμοειδίας* esse retentam, velut in hominum et heroum nominibus p. 397 B. Quae cur imponantur varias et multiplices valere causas; alia enim *κατὰ προγόμων ἐπωνυμίας*, alia fausti ominis causa data esse; itaque multa hominum nomina *ἀπο τοῦ αὐτομάτου κείσθαι*. Deinde vocabulorum rectam rationem non tam angustis finibus esse circumscriptam

1) cf. Steinthal l. l. p. 100; Susemihl p. 152 sq.

dicit, ut certa quaedam res per certas has vel illas literas et syllabas significanda sit; sed *ποικίλλειν ἕξεσσι ταῖς συλλαβαῖς* p. 394 A; *εἰ δὲ ἐν ἑτέρας συλλαβαῖς ἢ ἐν ἑτέρας τὸ αὐτὸ σημαίνει, οὐδὲν πρᾶγμα κτλ.* p. 393 D; cf. p. 9. Postremo eo quod nominibus non ipsam rerum vim et naturam significari Plato contendit, sed ea quae nomothetae de rebus opinati sint, vocabulorum *ὀρθότης* accuratius definitur, atque eodem spectat id quod ipsa nostra parte ii ridentur et perstringuntur, qui vocabula statuebant ad res cognoscendas valere.

Itaque alteram dialogi partem magni esse momenti iudicabimus ad universam disputationem intelligendam atque ut per ludibrium et jocum in vocabulorum originationibus videatur versari, ita legentium animos apte praeparare ad ea, quae via ac ratione tertia parte exponuntur. Cujus argumentum etsi magna ex parte jam praeoccupavimus atque adumbravimus, tamen potissimas res extrema disputatione confirmatas in memoriam revocemus et ea, quae adhuc praetermisimus, jam addamus.

§ 5. De tertia dialogi parte.

Tertiae partis rationem multum distare ab antecedente disputatione supra diximus. Quae quum urbanitatis et cavillationis quasi quodam sale sit perfusa, extrema parte disputatio via ac ratione procedit, nihil habet ex ambiguo vel per jocum dicta, ratione et ordine ea argumenta, quae ludibrii causa antea proposita erant vel latius patebant, aut in angustum deducit aut redarguit. Atque hac parte Plato id potissimum agit, ut eos, qui a naturali vocabulorum origine profecti e nominibus censeant rerum naturam esse cognoscendam, vehementer errare subtili disserendi ratione demonstret. Quam ob rem summo jure Plato in hac disputatione cum Socrate colloquentem Cratylum facit¹⁾. Qui postquam quaecunque a Socrate adhuc exposita sint, omnino sibi probari confessus est, jam ille se reperta iterum recensurum esse simulans ad sua ipsius vel potius Cratyli decreta refellenda aggreditur. Itaque ante omnia hunc adducit, ut *ὀρθότητα* eam esse concedat, quae quale quidque sit significet, ergo nomina rebus esse imposita, ut de earum natura edoceamur; deinde esse et artem quandam nominum recte inveniendorum et homines qui hanc artem exercent, *νομοθέτας*, p. 428 B. Ac fundamentis sequentis disputationis jactis jam Socrates

I. (p. 429 A — 431 B) primum quidem eam Cratyli argumentationem impugnat, qua omnem errorem tollebat. Is enim rejecta Socratis sententia, qui et bonum et malum esse nominum auctorem et alia nomina recte alia perperam rebus imposita vult, *πάντα τὰ ὀνόματα, ὅσα γε ὀνόματά ἐστιν, ὀρθῶς κείσθαι* p. 429 B contendit; quaecunque igitur nomina sint, ea recte rebus propria et recta esse, quaecunque vero rerum naturae non respondeant, ea ne nomina quidem esse, sed inanem sonorum strepitum; itaque quae quisque dicat vera esse neque fieri posse, ut quisquam erret vel mentiatur. Cratyli igitur argumentatio ad idem redit, quo Hermogenis, ad errorem omnem tollendum. Contra quae Socrates disputat, totius rei cardinem verti in *διανομῇ*, in ea ratione, qua nomina ad res referantur. Ut enim rei cujusdam imago false possit alii rei tribui, quam artifex pingendo non voluerit exprimere, ita fieri posse, — nam *ὄνομα μίμημά τι εἶναι τοῦ πράγματος* Cratylus concessit p. 430 A — ut literae et syllabae et nomina, quibus hanc rem nomothetes significare voluerit, aut alii rei magis sint accom-

1) cf. Susemihl l. l. p. 166.

modatae aut certe per errorem ad aliam referantur; itaque *εἶναι μὴ ὁρθῶς διανεμειν τὰ ὀνόματα μηδὲ ἀποδιδόναι τὰ προσήκοντα ἐκάστω, ἀλλ' ἐνίοτε τὰ μὴ προσήκοντα* p. 431 B et quod in nomina, idem cadere in verba et in tota enunciata, quippe quae *ἢ τούτων ζύνθεσίς ἐστιν*. Errorem igitur proficisci ab animi perceptione, quae diversas res perverse inter se conjungat, atque in oratione suum habere locum.

II. (p. 431 C — E). Ex quibus consequens est, ut nomina alia aliis sint meliora rebusque magis accommodata, et alii boni nominum auctores alii mali existimandi, prout quisque aut rebus omni ex parte accommodatas tribuerit literas et syllabas aut in nominibus fingendis pauca deliquerit.

III. (p. 431 E — 433 C). Jam contra ea, quae Socrates exposuit, Cratylus monet, „nomen quod aliter scriptum sit atque debeat, plane aliud evadere atque adeo non esse nomen ejus rei, quam significare debeat“ (Stallb. praef. p. 13.). Quod quamquam Socrates concedit in numeros cadere, quorum vis addita vel dempta unitate statim mutetur, tamen ad cetera statuit nomina non pertinere. Nam imagine non id effici, ut omnes rerum proprietates exprimantur, neque oportere *πάντα ἀποδοῦναι, οἷόν ἐστιν ὃ εἰκάζει* p. 432 B; ad imaginem non quantitatis, ut ita dicam, sed qualitatis notionem esse admovendam¹⁾. Quod etiam in nomina quadrare, quippe quae rerum quaedam sint imagines. Itaque nomen non oportere omni ex parte rei significatae respondeat; sed etiamsi non prorsus eadem habeat atque illud, quod imitetur, tamen re vera esse rei quandam imaginem; p. 432 E: *μὴ ἀνάγκη πάντ' ἔχειν τὰ γράμματα, ἵνα κομιδῇ ἢ τοιοῦτον οἷόνπερ οὗ ὀνομά ἐστιν, ἀλλ' ἔα καὶ τὸ μὴ προσήκον γράμμα ἐπιφέρειν — καὶ μηδὲν ἦτιον ὀνομάζεσθαι τὸ πρᾶγμα καὶ λέγεσθαι, ἕως ἂν ὁ τύπος ἐνῆ τοῦ πράγματος, περὶ οὗ ἂν ὁ λόγος ἦ*. Itaque nomina *μιμήματα εἶναι πραγμάτων, ὅμοια εἶναι τοῖς πράγμασι* (p. 434 A, B. cf. p. 439 A.) constat, non ita tamen, ut plane rebus sint similia vel earum naturam omni exclusa fraude atque errore expriment; sed recte vocabula esse efficta Plato statuit, dum generalem ejus rei, de qua sermo est, formam expriment et per literas et syllabas hanc rem significant *δήλωμα συλλαβαῖς καὶ γράμμασι πράγματος ὄνομα εἶναι* p. 433 B. cf. p. 8. His igitur, quae modo exposita et serio a Platone prolata sunt, id circumscribitur, quod p. 423 B contenderat, nomen esse rerum imitamentum voce expressum; v. p. 14 sq. Ac rationem, quam inter literarum et rerum genera intercedere statuerat p. 424 B — 425 C, quamquam in universum rectam esse Plato persuasum habet et nominum natura comprobari certe non nolebat, tamen neque usquequaque observatam neque necessariam esse jam et concedit et demonstrat.

IV. (p. 433 D — 435 C). Deinde Socrates quae ex antecedentibus consequantur, exponit et ad circumscribenda vel refutanda gravissima duo Cratyli decreta aggreditur, qui primum quidem nomina sola naturae necessitate contenderat valere rebusque omni ex parte respondere, deinde e vocabulis rerum cognitionem esse hauriendam. Atque illam quidem rationem nimis late patere Socrates antecedente disputatione satis plane exposuit; jam igitur id agit, ut quae alia ratio praeter *φύσιν* valeat in nominibus explicet. Constat autem et *τὸ εἶναι τὸ ὄνομα δήλωμα τοῦ πράγματος* et *τὸ εἶναι τῶν ὀνομάτων τὰ μὲν ἐκ προτέρων συγκείμενα, τὰ δὲ πρῶτα*, unde intellegendum est, Platonem distinctionem illam p. 422 expositam serio protulisse. Rejicitur deinde iterum Hermogenis sententia, qui sola pactione et consuetudine dicebat vocabula valere, comprobantur vero in universum ea, quae de similitudine inter literas et res intercedente p. 424 — 427 C exposita sunt; nam si quidem, Socrates ait p. 434 A,

1) cf. Deuschle l. l. p. 68; Susemihl l. l. p. 154.

nomen rei simile est, etiam elementa, e quibus primitiva vocabula aliquis componet, rebus esse similia necesse est. Quam similitudinem etsi Plato, quantum fieri possit, *κατὰ τὸ δυνατόν*, in nominibus vult valere, tamen saepissime esse perexiguam atque omnino neglectam et jam antea concessit et nunc vocabuli *σκληρότης* exemplo usus denuo demonstrat. In hoc enim vocabulo et litera λ asperitatis ac duritiei naturae adversatur et ultima litera σ ab Eretriensibus in literam ρ convertitur, nominis vi ac significatione ne minime quidem mutata. Quomodo igitur fieri potest, ut, quum literae rei per nomen declaratae vim et naturam haudquaquam expriment et in earum locum aliae substituantur, tamen nemo sit, qui quid hoc nomen sibi velit ignoret. Quam rem more et consuetudine effici Cratylus sponte profitetur; et quum *ἔθος* a *ξυνθήκη* proficiscatur, Socrates in nominibus etiam pactionem atque usum valere confidenter statuit. — Ea igitur ratio, quam Plato in prioribus dialogi partibus secutus erat, jam accuratius describitur et Cratyli sententia nunc vicissim ad Hermogenis rationem revocatur¹⁾, non ita tamen, ut, quod is contenderat, quaecunque nomina rebus imponantur, ea recta esse Plato nostro loco dicat et pro suo quemque arbitrio et voluntate nomina posse mutare; sed inter homines sponte convenisse, ut hanc rem per hasce literas et syllabas significarent, ita ut ei, qui nomen certae cujusdam rei pronuntiet, persuasum sit, eum quocum colloquitur eandem rem intellegere²⁾. Itaque Plato ut neque Hermogenis neque Cratyli rationi ab omni parte assentit, sed utramque infringit atque accuratius describit, ita utramque statuit aliquid veri habere nominumque vim atque usum et *φύσει* et *θέσει* vel *νόμῳ* contineri; nomina quantum fieri possit rebus respondere et similia esse et ipse vult: *ἐμοὶ μὲν οὖν καὶ αὐτῷ ἀρέσκει μὲν κατὰ τὸ δυνατόν ὅμοια εἶναι τὰ ὀνόματα τοῖς πράγμασιν* p. 435 C; sed quum haec similitudo revera saepissime neglecta sit, etiam usum et consuetudinem concedit nonnihil in nominibus valere: *ἀναγκαῖόν ποιν καὶ ξυνθήκην τε καὶ ἔθος ξυμβάλλεσθαι πρὸς δήλωσιν ὧν διανοούμενοι λέγομεν*³⁾. — Simul *ὑποθέσις τῶν ὀνομάτων* prorsus mutata est. Quam Plato ex Cratyli sententia supra contenderat ita esse, definitam ut nomina rerum naturam aperirent et quale quidque esset ostenderent. Jam vero aliter de vocabulorum ratione statuit. Ac p. 433 quidem exponit, nomen esse *δήλωμα τοῦ πράγματιος* ejusque vim atque usum esse, ut per literas et syllabas certam quandam rem significet; deinde vero p. 435 A nomina recta esse dicit, si ea expriment, quae cogitemus, si *δήλωμα* vel *δήλωσιν* efficiant eorum, quae loquens cogitet; cf. p. 435 B: *πρὸς δήλωσιν ὧν διανοού-*

1) cf. Stallbaum praef. p. 13.

2) Deuschle l. l. p. 69.

3) itaque cum Stallbaumio, Schleiermachers, Deuschlio, Susemihlio consentio. Steinthalius vero Platonem in nostro dialogo ab eorum partibus stetit dicit p. 103 cf. p. 108, qui vocabula *νόμῳ* (vel *θέσει*) esse statuebant, et *ὁμολογίαν καὶ ξυνθήκην* solam in lingua valere contendisse. Sed ex iis, quae supra exposui, viro doctissimo assentire non possum; qui ne constare quidem sibi ipse videtur. Nam p. 147 Platonem in Cratylō id agere dicit, ut linguam neque *νόμῳ* esse ostendat, quod Hermogenes, neque *φύσει*, quod Cratylus statuerit; ex ipso autem Cratylō et ex aliis dialogis, maxime ex Theaeteto et Sophista, esse intellegendum, Platonem nihilo minus linguam *φύσει* esse judicavisse, quatenus ad philosophiam sit necessaria p. 145; cf. p. 314. Videtur igitur Steinthalius statuere, Platonem in Cratylō universam linguam contendisse *φύσει* esse, quod dialecticus ea non possit carere, ipsa autem vocabula *νόμῳ καὶ ξυνθήκη*, ut philosophus noster inter illas rationes interveniat propria earum vi aliquantum mutata. Sed in nostro dialogo Plato non universae linguae vim ac rationem persequitur, sed singularium vocabulorum; quae non plane esse *νόμῳ* ex disputatione de onomatopoeia instituta concludendum est, quam serio a Platone esse prolatam Steinthalius p. 99 sq. et ipse con-

μενοι λέγομεν. Apparet igitur — quod jam Steinthalius l. c. l. p. 109 animadvertit — vocabulum *δήλωμα* vel *δήλωσις* duplici sensu usurpatum esse; quod consulto Platonem admisisse equidem judico. Philosophus enim *δρθότητα* statuisse videtur et in opinione et in natura sitam esse, vel ut his vocabulis utar, et subjectivam et objectivam esse. Vocabula igitur contendit et rebus significandis et cogitatis nostris aperiendis inservire atque in duplici hac ratione eorum vim atque usum versari. *ἡμεῖς οὖν οὕτως ἔρομεν* V. (p. 435 D — 438 C). Jam reliquum est, ut qua argumentatione Plato alterum Cratyli errorem refutaverit paucis explicemus. Is enim id quod Plato antea ad ejus mentem disseruit, vocabula nos invicem de rebus edocere earumque naturam patefacere, jam adeo exaggerat, ut p. 435 D plane ac dilucide contendat, eum qui nomina cognita habeat, etiam rerum omnem rationem intellegere, atque hanc esse unicam viam, qua ad rerum cognitionem perveniamus. Quam sententiam ut Plato irrisione usus etymologica parte impugnavit, ita jam via ac ratione instituit refutare. Atque in universum quidem Socrates maxime esse anceps et incertum monet in rebus explorandis nomina sequi, quoniam primus eorum auctor quas ipse de rebus habuerit opiniones, eas in nomina transtulerit, *οἷα ἤγειτο εἶναι τὰ πράγματα, τοιαῦτα εἶθετο καὶ τὰ ὀνόματα* p. 436 B, et num recte rerum vim ac naturam perceperit maxime sit dubium, ut magnum immineat periculum, ne decipiamur. Ad haec autem Cratylus respondet 1. qui primus rebus nomina imposuerit, peritum (*εἰδότα*) fuisse virum necesse esse, quoniam nomina rebus non accommodata ne nomina quidem habenda sint; repetit igitur ineptam illam argumentationem a Socrate jam rejectam; 2. deinde nomotheten reapse non errasse, quoniam omnia vocabula ad unum idemque pertineant et Heracliteam illam rationem a Socrate antea propositam imitentur. — Plato ad posterius argumentum refutandum statim aggreditur. Monet enim, etiamsi omnia nomina ad idem tendere i. e. rerum motum atque agitationem significare videantur, tamen nihil ob stare, quin ipsum illud principium perversum sit et nomothetes a falsa ratione profectus rebus ut congruentia ita falsa imposuerit nomina. Deinde Socrates Heracliteam rationem revera ostendit non usquequaque in vocabulis cerni, sed permulta inveniri nomina, quae non motum sed quietem rerum indicent; et p. 437 A — C nonnullas affert originationes, quae eleaticam rationem comprobent, ut facile credere possimus, *τον τὰ ὀνόματα κθέμενον οὐχὶ λόγια οὐδὲ φερόμενα, ἀλλὰ μένοντα τὰ πράγματα σημαίνειν*. Quas originationes et ipsas apparet Platonem non serio protulisse, sed ut Cratyli sententiam redarguat. Itaque quoniam et Heraclitea ratio in permultis vocabulis omnino non cernatur, ad nonnulla vero, etiamsi subesse videatur, tamen nullo modo quadret, neque controversia ita possit componi, ut utra philosophica ratione plura possint vocabula explicari, hanc pro vera accipiamus, nominum auctorem errasse neque sibi constituisse apparere. — Jam Plato alterum Cratyli argumentum refutat. Nomotheten enim non fuisse peritum, res non perspectas habuisse, argutissima hac argumentatione demonstrat. Nam si quidem omnis rerum cognitio e nominibus solis sit haurienda, fieri non posse quin primus eorum auctor, quippe qui nondum nominibus usus sit, e quibus rerum naturam cognoverit, ignorans ac temere rebus nomina imposuerit; cf. ea quae de ratione inter philosophum et nomotheten intercedente p. 9 exposui. Neque majorem habere veritatis speciem, quod Cratylus in angustias compulsus a numine quodam hominibus praestantiore dicat nomina rebus esse tributa. Nam vix esse probabile, deum vel daemonem adeo sibi non constitisse, ut vocabulis aliis res fluere, aliis non fluere significaverit.

VI (p. 438 D — 339 C). Itaque quum in nominibus diversae rationes valeant, quarum utra sit vera vix possit dijudicari, tantum abesse ut nomina doceant vel rerum naturam patefaciant, ut alia

praeter nomina quaerenda sint, e quibus sine nominibus quales res sint intellegamus. Ac rerum cognitionem Plato argumentatur ex mutua earum conjunctione et ipsarum natura i. e. ex ideis hauriendam esse: *δι' ἀλλήλων γε, εἴ πη ξυγγενῆ ἔσται, καὶ αὐτὰ δι' αὐτῶν*. Quam cognoscendi rationem, etiamsi nomina sint quaedam rerum imagines, tamen multo esse praefendam ei, quae rerum quasi umbris nitatur: *οὐκ ἐξ ὀνομάτων, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον αὐτὰ ἐξ αὐτῶν καὶ μαθητέον καὶ ζηητέον ἢ ἐκ τῶν ὀνομάτων*. — Jam postquam Plato vocabula illa rerum motum significantia videri errorem prodere et Heracliteam rationem magnis premi difficultatibus exposuit, dialogo finis imponitur.

Summa igitur nostri dialogi nominum vi ac natura respecta haec est: Nomina neque prorsus vera neque prorsus falsa sunt, neque ab uno hominum arbitrio pendent neque in sola naturae necessitate posita sunt; sed utraque ratio in iis valet, atque ut naturali quadam necessitate rerum sunt quaedam imagines, ita usu et consuetudine efficitur, ut non omni ex parte earum naturae respondeant. Itaque nomina neque prorsus sunt inutilia, quoniam rebus significandis et cogitatis aperiendis inserviunt — et in hac quidem re eorum vis atque usus versatur — neque rerum naturam patefaciunt; quarum cognitio non e nominibus haurienda est, sed ex ipsa earum natura vel ideis.